

JOHANNES PFEFFER FRIBVRGENSIS
professor.



Ohannes Pfeffer de Vuidenberg in Francia Orientalinatus est. hic sese literarum amore Heydelbergam contulit, atque fœlici successu in Theologia & philosophia magnam eruditionem sibi acquisiuit. Erat autem multis uirtutibus & in primis singulari humanitate & mansuetudine prædatus. Itaque inter professores eius scholæ adoptatus fuit. Cum autem Albertus Austriae dux Friburgi in Brisgaudia, Anno post reparatam salutem humanam millesimo quadringentesimo sexagesimo, Academiam fundasset, atque eam eruditis uiris ornare cuperet, Heydelbergam misit, ut insignem inde Theologum acciperet. Itaque Iohannes ille ab eius scholæ proceribus Friburgum missus, eius gymnasij principium plurimum decorauit.

Ibi sacrarum literarum professor constitutus, plurimis annis magna cum laude & auditorum fructu diuinam scripturam interpretatus est. Scripsit ibi insigne opus super Epistolas Pauli, quod publicè lectum libris tredecim distinxit, & Directorium sacerdotale inscripsit. Claruit anno millesimo quadringentesimo octu. gesimo, Trit,